

N^o
Contin.
PéL
Harid
Nér
t. Erf.

no
17

Thema	Jahr	Autor	Präfer	Bl.
1.) Fieber-feru	1731	F. J. Hahn	—	27.
1729 in Berlin				
2.) Cauterisationen	1767	—	L. F. E. Kumpel	Erft. H.
3.) Passion-Mythen.	1721.	A. G. Brichner	J. F. Hahn	"
4.) Milch	1739	J. G. J. Doers	Brichner	"
5.) morb. cerebri	1741	O. G. Albrecht	"	"
6.) Katarh. Fieber-	1742	S. A. Jahr.	"	"
7.) Wasserfucht	1743	J. Ch. Heppel	"	"
8.) Favus capitis	1743	J. F. Kaempff.	"	"

Kern 487 (1-8)



M

P. 6

1111

M



(2)

DE
CANTHARIDIBVS

EARVMQVE
TAM INTERNO, QVAM EXTERNO
IN MEDICINA VSV
DISSERIT

AC
AD AVDIENDAS PRAELECTIONES
MEDICAS

NOBILISSIMOS DOMINOS COMMILITONES
OFFICIOSE INVITAT

LVDOV. FRIDER. EVSEB. RVMPPEL

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD. ACADEM. CAESAREAE NAT.

CVRIOS. SOCIVS AC BIBLIOTHECAE CVSTOS, VT ET ELECT.

MOGVNT. SCIENT. VTIL. SODALIS.



ERFORDIAE, LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYPOGR. 1767.

DE
CANTHARIDIBUS

ANALYTICA
DIEBET

STUDIOSA RELECTIONES
IN DIEBET

OPUSCULUM

DE

RE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE


DE

DE

DE

DE





Magnam natura progenerat earum rerum numerum, quæ corporis humani vires conseruant, augent, vel eas labefactatas restitunt. Magna autem earum etiam rerum copia in hoc vniuerso reperitur, quæ admirandam corporis humani machinam vel lente vel subito dissolunt ac destruunt. Media denique quarundam rerum est ad corpus humanum ratio, quæ nempe sub quibusdam conditionibus valetudinem ac vitam, in aliis morbum ac mortem producant. In hisce rebus, quarum anceps est ad corpus humanum relatio, merito numerandæ sunt, quas paucis iam iam dispiciemus, *Cantharides*.

§. I.

DESCRIPTIO CANTHARIDVM.

Cantharis est insectum *Coleoptero-macropteron*, cuius *tarsi* pedum priorum

A 2

priorum



priorum articulis quinque, posteriorum quatuor sunt instructi, *antenna* setaceæ, thorace longiores, *caput* inflexum, *os* maxillosum, palposum, *thorax* inæqualis, scaber, non marginatus, planiusculus, *abdomen*, lateribus plicato-papillofis, *elytra* flexilia, f. mollia, *corpus* oblongum, fere cylindraceum 1). Nomen horum animalculorum latinum est *cantharis* ex græco *κανθαρις* desumptum, quod Galli per *mouche cantharide* expriment, nos eas *spanische Fliegen* muscas hispanicas adpellamus, quo nomine & Anglis veniunt *spanish Fly*. Exterior earum superficies per microscopium observata, tam in alis superioribus quam in capite, thorace ac ventre æneum colorem refert, qui præsertim, cum lux per alas transmittitur, est conspicuus, superficiæ harum partium infixæ sunt plumulæ tenuissimæ viridissimi coloris, quæ animali nudo oculo conspecto viridem colorem impertiunt, ad latera vero longiores plumæ æneo colore tinctæ prominent. Fætidum odorem spargunt hæc animalcula & rosis, sambuco, ligustro, iuglande, segetibus aliisque plantis, quas erodunt, pascuntur; in climatibus fervidioribus magna, in Germania minor earum copia occurrit.

§. II.

ANALYSIS EARVM CHEMICA.

BORRICHIVS 2) ope vitræ retortæ ex vnciâ cantharidum circiter dimidiam drachmam salis volatilis, totam drachmam olei crassi, coloris subflavi, odoris fætidæ, & continuato labore nonnihil aquæ flauæ & salis fixi elicit, nihil autem acidæ in iis detexit. BAGLIVIVS 3) per digestionem acrem, resolventem atque erodentem a cantharidibus separavit tincturam. Vidit oculatissimus

LEEV-

- 1) Schæffer Elementa Entomologica Ratisb. 1766. in 4. mai. Tab. XXXIII. Cantharis, Pflaster Käfer. Linnæi syst. nat. p. 403. n. 27. 28.
- 2) In actis Hafnienfibus Vol. IV. P. I. Obf. 8c.
- 3) Opera, edit. Antverp, 1715. 4. Diss. de usu & abusu vesicantium c. I. exper. I. & II. p. 647.

LEEWENHOEK 1) in contusis his animalculis, quibus aquam infuderat, eamque aëri expositam iterum in auras abegerat, multas salinas partes concretas, ut & in cantharidum oleo & spiritu adspersa aqua dilutis iterumque exsiccat, nec non in capite mortuo illarum elixiuato. COCKBVRN 2) octo vncias cantharidum ex retorta leni arenæ igne destillauit & cum sale volatili spiritum atque oleum obtinuit, relicto capite mortuo vnciarum duarum & quinque drachmarum. Separato deinde oleo ope pulueris laterum spiritum habuit, qui quidem cum sale absynthii, cum spiritu C. C. & salis ammoniaci aliisque alcalinis non efferuescebat, spiritui autem vitrioli affusus multoque magis spiritui nitri maiorem ac modo dicta alcalina iisdem spiritibus acidis affusa, stridorem edebat. Cæterum quamuis nullum sit dubium, cantharides adhuc recentes maiori vi esse instructas, quam quarum successu temporis sal volatile, magnam partem, in auras euolauit 3) tamen cum acidis fossilibus diu efferuescunt, imo post annum spatium concusso liquido, cui innatant, denuo efferuescunt 4). Fætor cantharidum sulphuris impuri, acrimque & penetrantium salium copiam annunciat, sapor acerrimus eumque sequens sitis ac dolor penetrantem salium acrimoniam prodit. Celeberrimus CARTHEVSE 5) in cantharidibus partes resinosas, plures gelatinosas & plurimas terreas detexit, quas partes etiam iis tribuit celeberrimus GERHARD 6), & salis ammoniaci particulam, quæ omnibus inest animalibus, addit. Excell. SPIELMANN 7) ex cantharidum libra vna spiritus alcalini vncias tres cum dimidia, olei rufi drachmas sex, salis volatilil vncias duas per destillationem obtinuit.

A 3

§. III.

- 1) In epist. LXX. p. 236. 2) Rieger Introd. in histor. rer. natural. & artefact. Hag. Comit. 1743. 4 Tom. II. voc. Cantharis p. 481. 3) De sale volatili cantharid. vid Charas Pharmacop. reg. Genev. 1683. in 4. P. 2. p. 190. 4) Cranz mat. med. Tom. III. Class. VIII. pag 92. edit. 1762. 5) Mat. med. P. I. sect. VII. §. 2. 6) Mat. med. Abschn. IX. Cap. XI. §. 326. 7) Instit. ehem. §. 72. experim. 64. p. 205.



§. III.

ACTIO CANTHARIDVM IN CORPVS HVMANVM.

Cantharidum vires ex earum partibus, quas chemica detexit resolutio, intelligi queunt, quid autem in corpore animali efficiant magna cum solertia experti sunt medici. Duplex omnino est cantharidum in corpus animale actio, alia in partes illius fluidas, alia in solidas. Vtramque experimentis institutis nos docuit BAGLIVVS 1): Sanguini humano e vena misso immiscuit scrupulum vnum cantharidum, quo facto sanguis breviori tempore coagulatus est, quam si sibi esset relictus, tum colore plumbeo & subnigro tinctus, ac subtili pellicula subnigra inductus fuit, demum in serum nigrum ac sublividum dissolutus. Canis iugulari dextræ iniecit uncias duas tincturæ cantharidum; Vulnere confuto ac fascia obducto, canis vomuit, humi procubuit quasi exanimis, tum paulum arrectus nihil comedit, vehementissime sitiit, pota aqua copiosissimam urinam flavam misit & quarto die inter maximos ululatus exspiravit. Cadavere aperto collum ea parte, qua vulnus incisum, sphacelatum omnino erat & fœtidum; dexter cordis ventriculus sanguine nigerrimo parum coagulato, in cuius superficie guttulæ quædam velut olei natabant, repletus, in sinistro ventriculo sanguis nigerrimus ac dissolutus, pulmo ac reliqua viscera sana; in vesica autem urinaria nulla mucii, qui alias adesse solet, vestigii, bilis in vesica fellea aliqua nigritie infecta. Ex his adparet, cantharides humores corporis animalis corrumpere & ad corruptionem disponere, totumque vasorum nervorumque systema irritare, exulcerare atque erodere, quod ex sequentibus clarius patebit. Quanam autem in parte cantharidum hæc vis resideat, inter scrutatores naturæ maxime ambigitur. Non moramur eos, qui cum BORRICHIO in spiculis, quibus cantharidum corpus obseptum est,

1) Oper. omn. edit. Antwerp. 1734. 4. Diss. de usu & abusu vesicantium
 Experim. 1. 2. 3. 4. P. 648. 649.

mirificam hanc vim inuenisse, sibi visi sunt. Alii ad reſtiora delati hanc vim in sale volatili acerrimo & sulphuris penetrantioris copia ponunt, quam sententiam tuentur STENTZELIVS 1) HVX-HAM 2) aliique plurimi, quum alia quoque salia alcalina volatilia eandem vim exserant & dissolutionem sanguinisque putredinem promoueant. Contrarium autem statuit, quod in se ipso est expertus PROBST 3); & BORRICHIVS quoque 4) narrat, se vt virium cantharidum sedem experiretur, famuli sui manum alia parte oleo cantharidum crasso, alia vero sale volatili earundem leuiter soluto perfricuisse, famulumque nil inde mali, vesicarum dolorisue sensisse. Hinc in resinosa potius parte alii hanc vim quaerunt 5). Alii effectum cantharidum compositum non ex vnica earum parte, sed ex omnibus simul sumtis deducunt, recte enim iudicante Galeno alia est remediorum viribus vnitis agentium, alia eorum in diuersas partes distinctorum operatio, ac proinde quid quaelibet pars ad eorum effectum conferat, curiosius inquirere superſedent. FREINDIVS 6) limites humani ingenii agnosceus, qua vi quoue demum modo cantharides humores attingant, neminem satis adhuc explicasse, ingenue confitetur; interim tamen vesicas a catharidibus excitatas comparat cum iis, quas ignis elicit, vbi diuulsa, qua vasorum ora defendi debebant, cuticula, sero via aperitur. Hanc autem cantharidum vim tam in se, quam ratione rerum ad quas applicatur augeri minuiue posse, sana ratio ac experientia docet. In se determinatur eius quantitas tam extensiuè numero partium, quae simul agunt, quam intensiuè conditione partium ac libertate, qua agunt. Quo plures, quo ponderosiores, quo recentiores adhiben-

tur

1) Diss. de Cantharidibus prosperae aduersaeque auctoribus valetudinis Vi-
temb. 2740. 2) Opera physico medica edit. Reichel Lips. 1764. in 8.
Tom. II. cap. 8. p. 115. 3) Diss. de sale volatili cantharidum, Argentor-
rat. 1759. 4) Act. Hafn. Vol. X. observ. 89. p. 216. 5) Gerhard
Mat. med. Abschn. IX. cap. XI. §. 326. 6) Opera omnia medica Paris
1735. 4. Comment. IX. p. 60. 61.



tur cantharides, eo maiora suarum virium specimina edunt, quo magis earum partes actiuae resolutae & ab impedimentis liberatae, quod fit, si fuerint vino vel spiritu vini solutae, eo fortiores erunt. Quo minor autem earum adhibeatur quantitas, vel quo magis earum conatus fuerint impediti, inuoluti ac restincti, quod pinguedine, iusculo pingui, lacte, camphora &c. fieri solet, eo erunt remissiores ac debiliores. Ratione corporis quoque, cui adcommo-
dantur plus minusue erit ab earum minis metuendum, quo magis illud earum actionem excipiat partesque præbeat, in quibus illae vim suam exercere queant, quoue validiora iis repagula opponat.

§. IV.


CANTHARIDES VENENIS ADNUMERATAE.

Quum tanta sit cantharidum acrimonia, vt in ratione ad massam corporis humani parua cantharidum quantitas maximos in corpore humano tumultus concitare imo mortem ipsam inferre valeat, hinc a veteribus cantharides in venenorum numerum sunt relatae. Sic apud CICERONEM 1) Caius Carbo accusante L. Craffo cantharides sumfisse dicitur, & apud eundem 2) Theodorus Lysimacho mortem munitanti; *magnum vero*, inquit, *effecisti, si cantharidis vim consecutus es*, & OVIDIVS inuidum deuouens ait, 3)

Cantharidum succos dante parente bibas.

DIOSCORIDES 4) vimearum describit *δυναμὶς δὲ ἀντὶ τῶν κοινῆ σπηλι- κῆ ἐλκετικῆ θερμολυτικῆ*. Vis ipsarum communis septica, exulceratoria & caustica, & libr. VI. de Alexipharmacis, in quo venena enumerat, primo statim capite cantharides ponit & cum commentatore MATTHIOLO omnium partium erosionem micatumque cruentum illis adscribit. GALENVS 5) cantharides venena nominat & varia, quae iis op-

1) Epistol. ad familiar. IX. 21. 2) Tuscul. Quæst. V. 40. p. 463. edit. Ernesti 3) In Ibin, v. 188. 4) De Mat. med. libr. II, cap. 66. p. 105. edit. Wechel. 5) Libr. I. de remed. compos. cap. I.



opponi possunt, remedia commendat 1). PLINIVS cantharides potas venenis adnumerat 2) cum erodentem ac exulcerantem iis vim inesse exemplo Cossini Equitis Romani demonstrat, qui Lichene laborans imprudenti cantharidum potu praematura violentaque abreptus fuit morte. AVICENNA, qui pleraque ex Dioscoride & Galeno hausit, eorum etiam de cantharidibus secutus est sententiam 3). Horum auctoritate suffulti multi recentiores medici cantharides venenis adnumerarunt; PARACELSVS, HELMONTIVS, TRINCAVELLVS, MERCVRIALIS, MOVFETVS, HOLLERIVS, CHARAS, 4); SCHROEDER 5) eos audaculos nominat, qui diureticis cantharides, cum tamen inter venena recensentur, admiscet; cui adstipulatur illius interpres HOFFMANNVS 6). Noxios cantharidum effectus referunt HILDANVS 7), FORESTVS 8), BACCIUS 9) CABROLIVS 10), BONETVS 11), WEPFER 12), FRICCIUS 13), eleganti carmine hanc vim cantharidum & remedia contra eas paranda describit NICANDER 14), cuius interpres IOH. GORRAEVUS ait:

vis dira veneni

Prævalet & miseros præter spem pascitur artus.

Cantharides etiam damnant VALISNERIVS, TOVRNEFOR-
B TIVS,

- 1) Libr. II. de Antidot. cap. X. 2) Histor. natur. libr. XXIX cap. IV. Tom. II. p. 509, edit. Harduin. & cap. VI. p. 611., libr. XXVIII. cap. X. p. 470. & cap. IX. p. 465. 3) Opera edit. Venet. 1555. fol. lib. VI. cap. I. 4) Stentz. Diss. cit. §. 3. it. Excell. Vogel Diss. de insigni venenorum quorundam virtute medica, imprimisque cantharidum ad morsum animalium rabidorum præstantia Resp. Wichmann, Gœtting. 1762 §. V. 5) Pharmacop. med. chym. libr. V. class. IV. n. 98. p. 340. Vlm. 1649. 4. 6) Clav. Pharm. Schroed. lib. V. sect. IV. §. 76. 7) Cent. VI. obs. 98. 99. 8) Observ. med. lib. XXX. obs. 6. 9) De venen. p. 10. 10) Obs. 17. 11) Sepulchret. anat. lib. III. sect. 24. 12) Histor. cicut. aquat. p. 306. 13) De virtute venen. med. cap. V. p. 161. 14) Nicandri Colophonii Alexipharmaca Io. Gorraeo interprete Paris 1549. in 8.



TIVS, LEMERY, POMETVS, adeo vt in Gallia pharmacopola
in cantharidibus aequae ac aliis venenis vendendis circumspēcti esse
& cantharides non nisi vesicarum mouendarum causa vendere iu-
berentur 1). GEORG. WOLFFG. WEDEL 2) HERMAN-
NVS 3) BAGLIVIVS 4) easdem valde suspectas reddunt. Ferales
casus multi medici referunt: BRASAVOLA 5) perhibet rhabarba-
rum in eo mortario contusum, in quo antea cantharides comminuta
& quarum forsam quaedam reliquiae rhabarbaro admixtae fuerant,
partium ab ore ad anum vsque erosionem produxisset. Italem
quendam robustum succique plenum sumto puluere ex satyriis, pi-
pere longo & cantharidibus composito, magnis ventris torminibus
& vomitu continuo exagitarum, auctis demum ventriculi vniuersi-
que abdominis doloribus, tribus interiectis diebus periisse, SCHEN-
CKIVS auctor est 6). BONETVS 7) secto cadauere, quod cantha-
ridum virus peremerat, ventriculum cum vesica urinaria exulcera-
rum inuenit. SALMVTHVS 8) aliquem cantharidum puluere
ad ciendam venere abusum, altero statim die paraplegia extin-
ctum fuisse, refert. LANGIVS 9) atrocissima damna recenset ex
cantharidibus. STENZEL 10), a male feriatis hominibus ex can-
tharidibus in puluerem redactis & cum melle coniunctis confici
dicit trochiscos vel electuaria, quae dicantur venenum extempo-
raneum, quo frequenter exhibitum multa mala, demum mors ipsa
sequuntur. RIEGER 11) etiam cantharidibus nomen venepo-
rum imponit ea ex ratione: *Quum omne illud, quod exili mole cor-
pus*

- 1) Pomēt Hist gen, des drogues P. II. p. 154. 2) Amœn. mat. med. lib. II. sect. II. cap. VI. p. 342. 3) Cynosur. mat. med. P. II. p. 53. 4) Lib. cit. cap. 2. p. 651. 5) Comment. in aphorism. Hippocr. lib. II. aphorism. 17. 6) Obseru. med. rator. Lugd. 1644. fol. lib. VII. obseru. XXXV. p. 846. 7) Anatom. pract. Genev. 1679. in fol. Tom. II. libr. III. sect. 24. §. 1. 8) Obseruat. Brunsv. 1648 in 1. Cent. III. obs. 23. 9) Epistol. med. lib. I. epist. 47. 10) Toxicologia f. de Venenis Wittemb. 1732 in 4. lib. I. p. 28. 11) Introd. ad notit. rer. natur. & artefact. Tom. II. p. 476.



pus subiens, neruosas maxime partes subito & uehementer, tam interne quam externe adoritur, ac tenui penetranti suo principio breui tempore magnas mutationes easque perniciosas inducit, venenum audire soleat, itali quoque nomine merito insigniuntur cantharides nostri corporis respectu. ALLEN 1) tristes cantharidum intro sumtarum effe-

ctus ab antiquis & recentioribus annotatos complectitur: omnes partes ab ore ad anum vsque internas arrodunt, inflammant, in primis partibus vrinæ dicatis infensæ, in quibus ardorem inflammatorium, excoriationem, penis erectionem, stranguriam & ischuriam excitant, quam vasorum vrinariorum gangræna & ipsa mors sequuntur. Celeb. CRANTZ 2) cantharides venenorum, heteroclitorum autem, classi inserit, idem facere videtur GERHARD 3) qui propter nimiam harum vim irritantem, iis interne uti plane vetat. His igitur animalculis adeo noxiis vel ex corpore plane eliminandis, vel earum rabiei infringendæ varia medici adhibuerunt remedia. DIOSCORIDES 4) vomitum commendat, propinato oleo elicendum, quo secuto halicæ aut oryzæ, tragi vel ptisanæ cremores aut decoctum malvæ, vel feminis vel sceni græci, vel radicum althææ, quam latini hibiscum adpellant, clystere infundi iubet, dari deinde vinum aut passum, in quo pinei nuclei & cucumeris semina contrita fuerint, aut ex lacte, mulsa, vel anferinum adipem in passo liquatum; inflammatis autem partibus hordei farinam cum mulsa decocta. IDEM 5) ab aliis pro antidoto traditas cantharidum alas & pedes, refert, quæ opinio, nescio quo fundamento nixa, etiam GALENO, PLINIO, AETIO & Dioscoridis commentatori IANO ANTONIO SARACENO 6) placuit. Recentiores omnino in vsum vocant vomitoria, diluentia aquosa,

B 2

emol-

- 1) Synops. vniuers. med. pract. Francof. 1753. in 8. cap. XVI. de veaen. animal. art. 60. 61. 2) Mat. med. Tom. III. Class. VIII. p. 91. 3) Mat. med. Abschn IX. cap. XI p. 345. 4) Alexipharm. cap. I p. 402. edit. Wechel. 5) Mat. med. lib. II. c. LXVI. p. 103. 6) Schol. in Dioscoridis I. c. p. 32.



emollientia oleosa & putrefactioni resistentia acida. Remedia a DIOSCORIDE proposita fausto cum successu adplicuit FORESTVS 1); infusum cantharidum & fuccoladæ pro stimulanda venere sumtum, quod maximam dysuriam, ardorem doloremque commouerat, solo lactis recentis paulo largiori potu fuit profligatum teste WEDELIO 2); profuerunt quoque anodyna, syrups refrigerrantes & confortantes, emulsiones 3); puluis ex semine ammeos, ex lapide prunellæ, cum emulsionibus, aqua spermatis ranarum, emulsiones ex seminibus feniculi, maluæ & amygdalis dulcibus; porio terebinthinata cum diacodio & syrupo de althæa 4); contra cantharidas epotas, ortumque exinde priapissimum efficacia sunt falia acida epota & externe acetum vini calidum, faex vini generosioris, interne oxymel simplex 5) & teste GREENFIELD camphora.


§. V.

CANTHARIDES INTERNE SALVTARES.

Sed quemadmodum res in se saluberrimæ vel in nimia quantitate corpori ingesta, vel aliis simul adsumtis, vel statui cuidam corporis præternaturali contrariæ maximas calamitates ipsamque mortem adducere possunt: ita violentissima remedia, si exiguam eorum portionem, eamque aliis adiunctis temperatam ac refrenatam corpori committamus, non modo nihil damni inferent, nec vires vitales superabunt ac destruent, sed etiam fugatis morbis optimam valerudinem vitæque robur restituent. Quis nescit in mercurio sublimato corrosiuo truculentissimas contineri vires, quas tamen ars medica ita domat, vt corpori salutem pæne desperatam reddere cogantur? Quid ergo verat similibus cantharidum acrimoniam coercere legibus? fortia mala fortioribus pelluntur remediis.

Sic

- 1) Obscrv. med. l. XXX. obs. 6. 2) De Medicam. compos. p. 63. 3) Bartholin. Act. Hafn. Cent. III. hist. 16. 4) Ephem. Nat. Curios. Dec. I. An. II. p. 105, & Dec. II, An. X. p. 59. 5) Lindestolp, de Venen. p. 892.



Sic Tigres subiere iugum victoris Iacchi.

GREENFIELD 1) totus in eo est, vt vsum cantharidum tam a veteribus, HIPPOCRATE, DIOSCORIDE, GALENO, quam a recentioribus CAPIVACCIO, LISTERO, FABRICIO AB AQUA-PENDENTE, THOM. BARTHOLINO, HOFFMANNO aliisque commendatum demonstrat & omne ab iis datum damnum in abusuum ac imperitiæ medicorum rationes referat. Idem egerunt HEVRNIVS 2) & CHARAS 3). Cantharides, vt plerisque antiquis visum, nimiam feri copiam e corpore humano pellunt, serum viscidum dissoluunt & sic obstructions tollunt, calculum comminutum eliminant ac vniuersi corporis sordes per renes & vesicam vrinariam exonerant, & hinc quidem corporibus tabe exsiccatis, vel renibus inflammatis aut vlceratis, aut si sanguinis acris referi salibus motus vehementior corpus perturbet, sunt pestiferæ, at in diuturnis infirmitatibus, a ferofarum impuratum copia ortis, quæ nervos ac reliqua vasa relaxant, premunt, eorumque actiones impediunt, ac vbi a solidorum flacciditate ac languore maxima imminent pericula, cautus cantharidum vsus opem feret admirabilem. Præcipua cantharidum vis in vesicam vrinariam dirigitur, salia quippe massæ sanguineæ commixta, ac per renes ad dictum lotii receptaculum delata magis soluuntur, maioremque contrahunt acrimoniam, ac maiorem agendi libertatem atque conatum, qui se in vesicæ parietibus, vbi minorem quam in aliis partibus inuenit resistantiam, præcipue exferit; minori enim liquoris gelatinosi quantitate, quam alia vasa interior vesicæ vrinariæ substantia oblinitur ac defenditur, vt adeo soluta atque exasperate cantharidum particulæ neruofam & fere nudam vesicæ partem quam maxime irritare queant 4). Eam ob rationem in vniuersum

B 3

uersum

- 1) Treatise of the safe, internal Use of Cantharides Lond. 1708, in 8.
2) Method. ad prax. lib. II. 3) Pharmacop. reg. Tom. II. lib. II. p. 3.
c. 14. 4) Stentzel l. c. §. 12. p. 35.





uersum veteres vt DIOSCORIDES, AETIVS, ARETAEVS, AEGINETA, TRALLIANVS fere totam coleopterorum familiam ac inprimis cantharides in morbis vesicæ & renum tanquam specifica diureseos mouendæ vi instructas in vsum vocarunt 1). In ipsius vesicæ vrinariæ morbis cum successu adhibentur. Ad tollendam vrinæ suppressionem FABRICIUS AB AOVAPENDENTE forma mulsi eas exhibuit. CAPIVACCIUS, THOM. BARTHO-LINVS per infusum vinosum cantharidum eundem morbum curarunt 2). Illustr. b. WERLHOF a. 1733. etiam in vrinæ suppressione, quam comitabantur deliria, tendinum subfultus, pulsusque inæqualis cantharidas cum emulsione fauste exhibuit, easdem camphoræ nuptas ad auerrendum, qui imminabat, vrinæ ardorem propinavit 3) HVXHAM de cantharidum in ischuria vsu timide sentit: *est*, inquit 4) *in ischuriis speraro cum effectu datas perspe-xi, attamen si illa non cito expectationi respondeant, timco, ne simulacribus cum salibus agant, & agroti mortem accelerent, excitando deliria & conuulsiones*, quod in primis exemplo feminæ pinguis renali ischuria laborantis confirmat, quæ a morbi initio vsque ad mortem, die suppressionis vndecimo secutam, ne guttulam quidem vrinæ emisit, etsi cantharides in substantia earumque tinctura ac alia medicamenta largis dosibus, & fortasse nimis, fuerint porrecta. Renibus inflammatis cantharidas maxime obesse supra diximus; hanc rem insigne apud MONRO exemplum probat 5), quo homini cuidam suppressione vrinæ pertinacissima laboranti, ex consilio medicorum, bis quouis die 6 grana cantharidum cum 3 granis camphoræ & 10 granis sacchari mortario contrita frustra sunt data; nulla quidem stranguria aliudue incommodum secutum, imo paullo liberius vrinam mittere videbatur æger, sed mox reuertens malum

- 1) Excell. Vogel l. c. §. VII. p. 28. 2) Rieger l. c. p. 488. 3) Vogel l. c. §. VIII. p. 37. 4) Oper. Tom. II. p. 124. ed. Reichel. 5) Beschreibung der Kranckheiten in den brittischen Feldlazarethen Altenb. 1766. in 8. p. 185.

malum mortem secum adduxit, sectio deinde instituta renes inflam-
 matos, inque eorum substantia tubercula purulenta & inferiorem
 partem renis sinistri sphaclatam, duabusque vel tribus uncias ni-
 gri ac fœtidi liquoris oppletam demonstravit. IDEM adcuratus
 obseruator 1) bolos ex camphora & sale volatili C. C. & singulis
 vesperis dosin tincturæ cantharidum per 14 dies sumtam contra
 ischuriam & renum dolores nihil valuisse perhibet; at idem notat,
 malum hoc inexpugnabile quodammodo hæreditarium in illo ca-
 su fuisse. Ad mouendam diuresin ETTMÜLLERVS tincturam
 sequenti modo parari iubet: Rec. Cantharidum vnciam vnam di-
 midiam, salis tartari drachmas sex, irrorentur cum sufficiente quan-
 titate aquæ, & in forma pulvis dilutioris seponantur in loco tepi-
 do, identidem irrotationem continuando; si igitur per dies noctes-
 que octo vel decem steterint, adfundatur pulveri spiritus vini tar-
 tarisatus & eliciatur tinctura, quæ propter coloris gratiam pulue-
 re vermium cochinillæ, qui similiter species cantharidum, vel po-
 tius coleopterorum, sunt & egregie diuretici, tingi potest. FVL-
 LERVS autem in *Pharm.* eam sequenti modo parat: Rec. Pulver.
 cantharidum semiunciam, spiritus nitri optimi vnciam vnam, dige-
 ras horis 24. addantur spiritus vini camphorati vnciæ tres, fiat di-
 gestio per aliquot dies, deinde filtratio 2). Cæterum vsui medi-
 co optime conuenire censentur illæ cantharides, quæ in frumento
 inuentæ fuerunt; illos vero NEVMANNVS 3) ridet, qui cantha-
 rides aceti acerrimi feruentis vapore interemtas melioris esse vsus,
 putant. Ad extrahendam tincturam WEDELIVS simplici spiritui
 vini plus vtilitatis tribuit, quam rectificato. Magnam quoque
 opem præstant cantharides illis, qui difficultate vrinæ laborant.
 RIEDLINVS in hoc morbo ex errore porrexit cantharidum drach-
 mam dimidiam, quæ dosis nimia largis olei amygdalarum dulcium
 hausti-

1) l. c. p. 191. 2) Rieger l. c. p. 494. 3) Chym. med. dogmat. experi-
 ment. Tom. III. P. I. C. I. §. 6. p. 4. edit. Kessel.




haustibus emendata, sanitatem reduxit. In calculo compacto & maiori quidem cantharidum vsus noxius erit, si vero sabulum tantum & calculus iam comminutus ex vesica extrudi debeant id cantharidum vi perfici posse adferit STENTZEL 1). Lithonripticum ex cantharidibus præparauit TVLPIVS 2), quarum in locum HORATIVS AVGENIVS & GVIL. LAVREMBERGIUS millepedibus vsi sunt 3). MARTINVS LISTER communi consilio cum collega D. BARWIKIO homini, qui aliquoties calculos a renibus excreuerat & vltimo paroxysmo dysuriam cum magna corporis iactatione atque anxietate per triduum passus fuerat, cum pæne de illius salute desperatum esset, ita præscripsit: Rec. Cantharid. probe tostatarum, tantum non crematarum scrupulum semis, aquæ spermatis ranarum libram vnã, misce fiat haustus. Paucishoris elapsis urinam ad quatuor minimum libras reddidit ægrotus, & vna plurimos calculos & conualuit 4). IDEM inter medicamenta calculo maxime adcommodata cantharidum cinerem refert 5). Gonorrhææ virulentæ opposuerunt cantharides IAC. A MEEKREN, THOM. BARTHOLINVS 6), FRID. HOFFMANN 7), qui earum adhibuit infusum vinosum, HERMANNVS 8), qui eas in substantia dedit, incipiens a dimidio grano, quam methodum & alii celebres medici non sine fruge secuti sunt. MARTIN. LISTER 9) tintura, quam etiam ingrediebantur cantharides, gon-

- 1) Diss. cit. p. 40. vt & in Diss. de cantharidum & similibus medicamentorum calculis compactis atterendis minus parium virtute Vitemb. 1741. p. 36. seqq. 2) vid. Neumann l. c. p. 15. 3) Schulze Diss. dari medicamenta, quæ calculum in vesica imminuant. 4) Dissertat. medicinal. de calculo humano Londin. 1696. in 4. ægrotus VIII. p. 28. 5) Diss. alleg. p. 40. 6) Histor. anatom. Cent. V. observ. 82. Stentzel Diss. alleg. de cantharid. calcul. compact. &c. § XI. XII. 7) Pharmac. medic. chym lib. V. sect. 4. §. 76. 8) Cynosur, mat. med. P. II. titul. cantharides. 9) Exercit. medic. p. 83.

norrhœam sanauit, quod etiam perfecit GEORG. HANNÆVS 1). RICHARDVS MEAD sequentem tincturam contra gonorrhœam habitualement confecit: Rec. Rhabarb. drachmas tres, gummi guaiaci sesquidrachmam, lacœ drachmam vnam, cantharidum contusarum drachmas duas, coccinellæ femidrachmam, infunde spiritus vini rectificati sesquilibram & cola. Huius tincturæ guttas 30-50 mane & ante decubitum propinauit, & eam efficacissimam semper expertus est 2). In collectaneis chymicis Leydensibus 3) nephriticum & lithontripticum exhibetur remedium, quod simul gonorrhœæ, podagræ, arthritidi vagæ & istero medetur: Rec. Cantharidum vnciam vnam, adfunde spiritus nitri fortissimi vncias duas, digerantur simul per horas 24, tum superfunde spiritus vini vncias sex, digerantur, quo diutius, eo melius, postea filtratus liquor ad vsum referuetur. Illustris b. WERLHOF ad extirpandam gonorrhœam pertinacem cantharidas feliciter in auxilium vocauit 4) ASTRVC vero vel minimam cantharidum siue in substantia siue in infuso interne adhibitarum dosin non tam infidum, quam aperte perniciosum pronuntiat remedium 5). A cantharidibus miserum expectabunt solatium, qui vixerunt puellis nuper idonei, quorum vero vires sunt iam exhaustæ ac prostratæ; Tristes enim sunt cantharidum veneris irritandæ causâ sumtarum effectus 6). Si morfulis Papenheimianis adduntur cantharides, membri conuulsionem miætumque cruentum producunt 7). Interim si corpori non effæto, sed ob feri & viscidæ pituitæ aut gelatinæ abundantiam languenti cantharides caute offerantur, præmissis iis, quibus primæ viæ purgandæ

C
sunt

1) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. An. V. obs. 172. p. 349. 2) Monita & præcepta medica Lond. 1751. 8. p. 143. 3) p. 119. 4) Commerc. liter. noric. 1733. p. 347. 5) de morb. vener. p. 201. 6) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. IX. Obs. 148. & X. append. p. 59. 7) Amman. in Irenico p. 134.



sunt medicamentis euacuantibus, e re venerea omnino erunt 1). DIOSCORIDES 2) morbos complures enumerat, quibus cantharides medentur: *vis ipsarum*, inquit *communis septica, exulceratoria, calefactoria, qua de causa medicamentis admiscuntur, quibus carcinoma, lepra & impetigines ferè curantur; menses quoque cient pessis emollientibus adduc.* Porro nonnulli cantharides antidotis admiscas etiam hydropicis auxiliari prodiderunt; quippe quæ urinas moueant. Alii ipsorum alas ac pedes iis, qui illas hauserint pro antidoto esse tradiderunt. HIPPOCRATES feminis ad excitandum fluxum menstruum etiam commendauit quatuor cantharidas vino bibendas, & quidem capite pedibus alisque reiectis, quibus addidit pconia grana nigra quinque, sæpiæ oua & seminis apii parum 3). Rationem, cur HIPPOCRATES extremitates cantharidum, quas tamen DIOSCORIDES aliique pro antidoto habent, semper reici iusserit, STENZELIVS 4) in eo sitam existimat, quod hæ partes duriores & solidiores difficiliter soluantur, & sic haustæ, sua asperitate multa creare queant mala. In contumaci obstructione lochiorum ac mensium, in partu difficili & retentione secundinarum, boli ex tribus cantharidibus præparatis, trochiscorum & myrrha scrupulo dimidio, seminis ammeos granis sex & rob cynosbati q. s. compositi prospero adiumento recentiori tempore fuerunt 5). PHIL. HOECHSTETTERVS 6) vterinam præfocationem cum menstruorum suppressione propinatis cantharidibus in potione ex succo mercurialis cum essentia cinnamomi & elæosaccharo cardamomi curauit.

- 1) Stenzel Diff. de Cantharidibus & similibus, quæ aphrodisiaca vocantur, medicamentis, veneri inimicis amicisque Vitæ. 1747. S. XI. p. 37. *Eiusd.* Diff. cit. de cantharid. calcul. compast. atterend. minus parium virtute §. X. p. 23. seqq. 2) Mat. med. lib. II c. LXV. p. 102. 3) De natura mulierum I. p. m. 65. edit. Foesii Genev. 1657. in fol. 4) De cantharid. prosperæ aduersæque auctoribus valetudinis §. IX. p. 28. 5) Transact. Philosoph. abbr. Tom. V. P. I. p. 4c5. 6) Vid. Velsch. Hecat. II. obs. 72.

rauit. HIPPOCRATES in classe medicamentorum foetui mortuo expellendo aptorum cantharidas etiam locauit 1). Idem in aqua inter cutem ex vasis effusa & stagnante euocanda vsus est cantharidibus 2), vbi nimirum nimia feri copia vasa relaxauit ac flaccida reddidit, & vbi viscera adhuc sunt integra, nulloque vlcere aut scirrho obfessa. GALENVS quidem duos commemorat casus, in quibus hydropis cura per cantharides, imprudenter nimirum adhibitas, infeliciter fuit tentata 3): at CAPIVACCIVS saeculo XVI. celebris, earum vsum suasit 4), modo parua dosis, eaque alius medicamenti temperata, exhibeatur, praescrispsit igitur vnam cantharidem integram cum scrupulo vno vel pulueris rutae, vel spicae, & aliquod pingue, vt iuris pinguis vncias quatuor vel sex, bibi simul iussit. KOENIGIVS in hydrope laudat puluerem ex cantharidum granis sex, oculorum cancrorum praeparatorum, tartari vitriolati & salis ononidis ana scrupulo vno compositum, cuius tertia pars dosin constituat; alii in eodem morbo decoctarum radicum diureticarum vncias quatuor, quibus admixtae fuerunt seminis lini drachmae tres & duae cantharides simul decoctae & simul percolatae, propinant 5). Nostro aevo illustris b. WERLHOFFVS non modo alios morbos sed etiam hydropem cantharidum ope expulit 6). In ictero etiam cantharidum tritarum puluerem, albo vino dilutum & melle addito correctum adhibuit HIPPOCRATES in eo potissimum casu, si potus abusu longo nerui debiliores & succis rite subigendis impares redditi, maxime si icterus hyeme ingruat ac frigida humidaque aeris temperies partes corporis humani solidas relaxet, fluidasque viscidiores reddat. Vbi

C 2

obstru-

- 1) Oper. Tom. I. Sect. V. lib. I. de morbis mulierum p. 625. ed. Foesii.
 2) Oper. Sect. IV. de ratione victus in morb. acut. p. 406. 3) In commentar. ad Hippocrat. librum de rat. vict. in morb. acut. Part. V. p. 116. 4) Pract. p. 688. 5) Wieri observ. med. p. 80. 6) Commerc. noric. an. 1733. p. 357.



obstructio vel humorum stagnantium congestio hepar eiusque in primis gibbosam partem occupauit, diuretica, ad quæ pertinent cantharides, sunt adhibenda 1). HIPPOCRATES 2) cantharidibus in puluerem redactis melle temperatis virtutem epilepsiae ex temulentia & rigore hyemali ortæ curandæ adscribit. MERCVRIALIS iis addit radicem Pæoniæ ac viscum quernum, iisque cum cardamomo & melle in bolum redactis contra morbum comitalem vtitur 3). Veteribus iam viscum quernum cum radice Pæoniæ specificum contra Epilepsiam remedium est visum, idque nouis etiam IOH. CALBATHII Angli & LOESEKII experimentis comprobatum. COLBATH peculiari tractatu qui Altenburgi in germanicum idioma translatus 1748. in 8. prodit, hoc argumentum est profecutus, & iubet viscum mense Decembri collectum furno leniter exsiccare & in vasis vitreis ad usum seruari. Singulis VI. horis visci in puluerem redacti semidrachmam cum syrupo pæoniæ exhibet, nec non potum ex vnciis LX. aquæ feruentis infusæ vnciis IV. contrusi visci & manipulo vno florum pæoniæ compositum. LOESEKE singulis tribus horis pulueris huius visci semidrachmam & potum descriptum adhibuit die ac nocte, & epilepsiam in duobus hominibus adultis feliciter sanauit 4). Aegyptii teste ALPINO 5) cantharidibus tanquam antidoro pestiferum venenum restinguunt per sudorem copiosissimum vel per vrinam, sumtis quatuor cantharidum capitibus & alis in puluerem redactis cum tribus vnciis aquæ endiuia. Egregius vsus est cantharidum in morfu animalium rabidorum. CELSVS 6) ea quæ vrinam mouent, serpentum morsum sanare tradit. AVICENNA 7) cantharidas

cum

- 1) Fuchf. instit. med. lib. II. sect. V. cap. 26. 2) De intern. affect. p. 552. Oper. 3) Vid Exc. Vogel in laud. Diss. §. VII. p. 29. 4) Vid. Loeseke Abhandlung der auserlesenen Arzeney-Mittel p. 420. 5) De Med. Aegypt. lib. IV. cap. vlt. p. 321. 6) De Med. lib. V. cap. XXVII. n. 3. p. 110. edit. Almeloeeen, in 12. 7) Lib. IV. sen. VI. Tract. IV. oper. pag. 501.



cum aliis ingredientibus trochiscorum forma datas in morfu canum rabidorum esse perutiles, testatur. Idem statuunt MATTHIOLVS 1), CARDANVS 2) & ZACVTVS LVSITANVS 3). Tarantula ictum tribus quatuorue cantharidibus in potu datis sanari, ait EPIPHAN. FERDINANDVS 4). Refert SPIELENBERGIUS 5) in superiori Hungaria vltra fluum Tibiscum Hungaros nouo laborare morbo, subito ipsis intumescere collum, ingentem succedere calorem in capite, eundemque tandem totum corpus peruadere; eos, qui non statim opponant remedia, quarto die exstingui, morbum ipsum ad speciem hydrophobiae accedere, curam ita institui, vt sumantur pro vna vice decem cantharides in puluerem redactae, quo facto vel largum sudorem vel copiosum vrinae fluxum excitari absque vlllo dolore. Addit hic medicus Hungarus, Germanis aliisque nationibus hoc remedium, in tanta dosi vix esse imitandum, Hungaros vero earum regionum, quae vltra Tibiscum sunt sitae, durissimae & solidae esse naturae, eosdemque, quod putent pedes cantharidum esse antidotum integras sine noxa deglutire 6). Laudatur etiam puluis cantharidum tanquam specificum morsus canis rabidi & hydrophobiae remedium; DEGNERVS scarabaeis maialibus melle suffocatis & conditis eandem virtutem tribuit 7). WERLHOFIUS cantharidum vires salutiferas in morfu animalium rabidorum expertus est 8), qui vero cantharidibus solis non fidit, sed mercurium ipsis admiscet, vulnus quoque, postquam cauterio actuali adustum vel saltem scarificatum fuit, inun-

C 3

git

- 1) In Praefat. ad libr. VI. Dioscoridis. 2) Oper. edit. Lugd. 1663. fol. Tom. VII cap. X. de venenis p. 336. 3) Lib. V. hist. II. quaest. 2. 4) Hist. LXXXI cap. II. quaest. 88. 5) Ephem Nat. Curios. Dec. I. ann. I. obseru. 133. & schol. Sachsi ad haec obseruationem p. 296. 297. in quo cantharidas, hydropi, ischariae, gonorrhoeae curandae bene adhibitas, variis exemplis docetur. 6) Ephem. Nat. Cur. Dec. I. An. IX. & X. obs. 148. p. 323. 7) Act. Nat. Curios. Vol. VI. obs. XCII. p. 325. 8) Commenc. litt. phys. techn. A. 1733. p. 357.





git vnguento mercuriali, nempe vulgari Neapolitano, quod vero ea quantitate vulneri vicinisque partibus illinendum suadet, vt ptyalissimus non exciterur, quotidie circiter mercurii scrupulum dimidium ad grana vsque quindecim, interdum quarto quouis die tantum mercurii drachmam vnam inungendam curat. Omni vespere autem exhiberi iubet pilulas compositas ex pulueris cantharidum gr. I. mercurii dulcis gr. vno & dimidio (vel turpeth. mineral. gr. dimidio) camphor. scrupulo dimidio, mucilag. tragac. q. s. harumque vsu per sex hebdomadas continuari. In hac formula camphoræ dosin arbitrariam esse dicit, quum vel exigua cantharidum acrimoniam obtundat. Neminem eorum, qui post morsum rabidi animalis his vsi fuerint remediis, in hydrophobiam incidisse adseuerat, imo & in vera hydrophobia forsan a cantharidibus maiori dosi propinatis sperandum aliquid esse statuit. 1)

§. VI.

VSVS CANTHARIDVM EXTERNVS.

Cantharides non modo interne adhibentur sed etiam externe; imo longe frequentior & fere tutior earum externus est vsus. In puluerem trita, fermento panis, terebinthinæ ceræue, aut aliis rebus mixta & emplastri forma cuticulæ impositæ vaporis & caloris animalis vim facile experiuntur, quo liberatæ earum vires in vasa cutis capillaria reagent, quæ irritata constringuntur, inde fit largior humorum confluxus, tubuli quidam lymphatici rumpuntur, lymphæ effunditur, & hac ratione vesica eleuatur, qua incisa multum feri e corpore remouetur. Non autem hæc vnica est cantharidum actio, vt serum euacuent; altius enim corpus peruadunt, ac ipsum sanguinem, æque ac intro sumptæ, imo totum neruorum & vasorum systema 2) adficiunt. Veteribus incognita vel saltem non vsurpata fuerunt vesicatoria. HIPPOCRATES nusquam

1) Excel. Vogel in Diss. supra laudata §. VIII, p. 30. seqq. 2) Huxham oper. Tom. II. p. 115.

quam eorum meminit. Primus ea adhibuit ARETAEVS, GALENO fere aequalis, vt & ARCHIGENES, ARETAEO secula atque ætate coniunctus. GALENVS etiam emplastra ex cantharidibus confecta vtilitatem præstare dixit, earum vim autem, tanquam periculo plenam, raro tentauit; eandem sententiam amplexi sunt sequentes Græci & Arabes. Apud Latinos CELSVS 1) earum purgatarum vsus in papulis curandis commendat, & PLINIVS 2) iis lepras, lichenas curari, relaque extrahi posse scripsit. Post renatas litteras adhuc raro ac timide ab hoc medicamento auxilium petierunt FERNELIVS & HOLLERIVS; imo ea ætate circa a. 1560. florens ADOLPHVS OCCO cantharidas in pera gestari vetuit, hac lepida inductus ratione, quod quidam eas forte portans milium cruentum expertus fuerit. Subsequenti sæculo XVII. hic timor cantharidum adhuc multos infedit, BANZERVM, ETTMVLNERVM, SENNERTVM aliosque. Apud Italos autem peste a. 1575. & 76. Patauii ac Venetiis grassante HIERONYMVVS MERCVRIALIS maximis in hac calamitate expellenda laudibus vesicantia extulit, breui post autem a. 1590. peste Pisauri furente ac Vrbinatium Duce Patauinos medicos de remediis huic malo opponendis consulente, magnæ inter Doctores Patauinos ea de re contentiones sunt ortæ HERCVLE SAXONIA cantharidum vsus strenue propugnante, ALEXANDRO MASSARIA 3) qui cum Galeno maluit errare, quam cum iunioribus vera sentire, vehementer vesicantium vsus damnante. SAXONIA autem tribus libris suam sententiam tam copiose tamque dilucide stabiliiuit, vt facile omnes, qui sunt infecuti, in suas partes pertraxerit 4)

§. VII,

- 1) Lib. V. c. XXVIII. n. XIII, p. 340. 2) L. supra cit. 3) Alex. Massaria de abusu vesicantium & Theriaca in febribus pestilentibus. Patav. 1591. 4. 4) Freind Opera omnia medica Paris 1735. 4. de Febribus comment. IX. pag. 38. seqq.



§. VII.

DE VESICANTIVM NOXA.

FREIND quidem hanc euacuandi viam id præ aliis commodi habere contendit, vt nunquam non tutissime in vsum duci queat 1); sed, vt iam supra monuimus, non omni corpori nec cuius morborum generi conueniunt. Infestæ enim sunt biliosis & hecticis, nec non iis, quibus corpus sit plenius, nisi vena antea secta 2). BAGLIVIVS 3) acriter infectatur HELMONTIVM, quod is vestigiorum naturæ aut oblitus aut contemtor contra vsum vesicantium disputauerit, attamen ipse ab vfu vesicantium cauere iubet, vbi suspicio conuulsionum adest, in vulneribus capitis, in febribus ardentibus & continuis, in quibus iam sanguis magno impetu agitur, in constitutione anni calida & sicca, inque similibus temperamentis, in adfectibus nervosis cum febre ad ardentem inclinante, in adfectibus comatosi febrium, quæ accedunt ad ardentibus, in morbis pectoris spasmodicis, inflammatoriis & a salina acri constitutione sanguinis productis 4). FABRICIVS AB AQPAPENDENTE vt & HILDANVS casus obseruarunt, quibus vesicatoriorum impositio vrinam suppressit, quum nimia vrinæ secretæ copia vesicam ita distenderet, vt eius vim excreticem simul plane resolueret 5). In fluxionibus oculorum hæmorrhagias produxerunt vesicatoria 6); eorundem noxias vires in Ophthalmia animadueterunt PLATNER 7) & LAZERME 8). Illustr. VAN SWIETEN 9) vesicatoriorum in pleuritide lateri dolenti impositorum noxam variis in casibus notauit. HVXHAM 10) iis vt prohibet in febribus ardentibus & inflammatoriis, in febribus putridis malignis ptechialibus,

- 1) L. c. p. 63. 2) Freind l. c. p. 62. 3) In præf. diff. VII. de vfu & abusu vesicantium. Oper. p. 645. 4) Diff. cit. §. 11. p. 652. 5) Rieger Introduct. Tom. II. p. 475. 6) Ephem. N. C. Dec. II. A. VII. n. 86. 7) Chirurg. §. 328. 8) Curationes morborum. Monspeli 1750. 12. Tom. I. p. 27. 9) Comment. in Boerhaave aphor. Tom. III. p. 48. 10) Oper. Tom. II. p. 23. & 115.

libus, saltim in earum principio, quum sanguinis motus iamdum incitatus nullo indigeat stimulo, quia potius addito stimulo perniciosus euadat, & pertinax peruigilium, delirium, vrinæ suppressio- nem, tremores, subsultus aliamque malorum cateruam secum fe- rat. Celeb. quoque TRALLES 1) in variolis, feбри accedente pu- trida cantharidum emplastra reiicit. Illustr. BÜCHNER, *Naturæ Curiosorum Præses ac dulce decus, Cuius celebratissimum nomen maxi- mum meritorum in rem medicam, physicam ac litterariam cumulum complectitur, Quem perpetuo cultu, summis beneficiis obstrictissimus veneror*, solidis ex rationibus eas enumerat condiciones, in quibus noxios vesicatoria effectus exserunt 2); nempe primo in morbis, qui dicuntur calidi, quibus a sanguinis phlogosi oriundis multum periculi a cantharidibus irritantibus sanguinisque circulum inten- dentibus imminet, vt in apoplexia sanguinea aliisque morbis san- guineis. Hinc pleuritis vera generatim considerata (aliud enim nonnunquam singulares condiciones suadent) vesicantia parti do- lenti adplicanda respuit, quum iis origo mali augeatur, nec minus cephalalgia, rheumatismo & arthritidi ex eadem, ac inflammatio, causa profectis vel ab eadem pendentibus officunt 3). Secundo in hæmorrhagiis aut a mobilitate sanguinis, aut ab eius resolutio- ne, aut ab impetu fortiori productis; vesicatoria quidem deriuant ac reuellunt & sic in hæmorrhagiis non obesse videntur, sed ta- men simul sanguinem resoluendo ac cor cum vasis irritando hæ- morrhagiarum causas augent, ac proinde grauioribus molimini- bus hæmorrhagicis semper contraindicantur. Tertio in diathesi sanguinis inflammatoria, quia noxia tunc sunt, quæcunque circulum sanguinis intendunt. A virtute cantharidum resolvente heic pa-

D rum

1) Vid. comment. Lips. de rebus in scient. natur. ac medicin. gestis Vol. X, p. 512. 2) Diss. de vesicatoriorum parti dolenti applicatorum vsu salubri & nociuo Hal. 1766. §. V. Eiusdem fundamenta therap. gene- ral. sect. II, cap. X. 3) Laud. Diss. §. X. & XV.

rum spei atque solatii superest, quum opium & calor eadem vi gaudeant & nihilominus diathesin sanguinis inflammatoriam augere soleant, & quum saepius soluendo sanguinem, aquosa humorum materies, cuius parcior in inflammationibus grauioribus copia adest, plane euahatur, ac proinde residui humores eo magis condensentur & eo facilius inflammentur. Imo stasis inflammatoria in vasis arteriosis enata moueri non potest, nisi vasa nimis constricta relaxentur, quod vero a cantharidibus, quæ plane contrarium edunt effectum expectari minime poterit; cantharides denique sanguinem resoluunt & eundem ad putredinem disponunt. *Quarto* in spasms ab irritabilitate aut sensibilitate nimia, a sanguinis commotione, stasi sanguinea & stimulo, quem eliminare non possunt, enatis; cantharides enim has spasmodum causas augent & sic mala ipsa non mitigant, sed longe acerbiora reddunt.

§. VIII.

DE EORVNDEN VSV IN GENERE.

Tum demum tutus ac saluberrimus erit vesicantium vsus, auctore BÜCHNERO *laude nostra maiori* 1) quum *primo* vires vitæ vere languentes sunt excitandæ, illæ enim maxime ad sensibilitatem ac irritabilitatem redeunt, ac proinde vesicatoriis magis acuntur, quod præcipue fit in morbis exanthematicis, quum vires in extrudendis exanthematibus languere incipiunt. *Secundo* vbi lentor frigidus corpus occupauit, qui a vesicatoriis dissoluitur, eorumque stimulo robur additur vasis, vt nimis tenaces humorum particulas segregare queant, quod auxilii genus in casibus desperatis, in pertinacibus viscerum obstructionibus, cachexia, suppressione mensium diuturna, a sanguine crasso, coagulato & alicubi impedito, permultum valet. *Tertio* vesicatoria miræ sunt vtilitatis in congestionibus frigidis, stasi frigida & mucosa & effectibus inde productis, tum enim reuellant, soluunt, discutiant atque eliminant. *Denique* in spasms a caus-

1) Ibid. §. VI.

a causa frigida, sero acri & stimulo ob languidam vim vitæ retento. Doloribus compescendis vel eorum effectibus mitigandis aut auertendis commode vesicatoria adhiberi possunt 1): quum dolor a coaceruata frigida materia oritur, quumque eadem materia magis condensatur, obstructionem producit ac partes dolentes replet, vel quum acris materia partes ea ratione irritat, vt eius tam deriuatio, quam eliminatio vesicatorii ope obtineri queat. Quum vero dolor vel a causa calida, vel a fractis, luxatis, cariosis ossibus producit, vesicatoriis vel magis irritabitur, vel saltem eorum vim eludet. Effectus autem dolorum infringent vesicatoria, causam doloris & sic ipsum dolorem tollendo, causam noui doloris ex priore generandi per deriuationem & eliminationem præcindendo, labefactatas dolore vires erigendo, ac viscidam materiam a dolore non raro contractam soluendo & eliminando.

§. IX.

*CONSIDERATIO SPECIALIS MORBORVM,
QVIBVS CONVENIUNT CANTHARIDES.*

In febribus putridis, malignis, petechialibus natura nonnunquam incitamento indiget, quod in earum declinatione fieri solet, quum solida torpent, circulatio languescit, spiritus sunt effecti, & comate æger corripitur, tunc quocunque febris tempore talia ingruunt symptomata, vesicatoria sunt applicanda 2), eaque eum successo adhibuit *Venerabilis Facultatis nostræ Decanus Excellentissimus D. NVNN, Patronus maxime colendus*, qui, pro ea, qua in nos vitur humanitate, nobis aperuit, se vesicatoriorum vtilitatem variis in casibus in febribus putridis malignis præcipue circa finem earundem, vbi vis vitalis decreuerat, nec vlla excretio perfici, nec ob defectum virium ad certam partem determinari poterat, expertum esse. In febribus putridis castrensibus, quarum naturam causasque accurate describit acutissimus BALDINGER 3), *Fautor atque amicus nos-*

D 2

ster

1) ibid. §. VII. VIII. 2) Freind l. c. Huxham Oper. Tom. II, p. 115. 3) Diff. de millitum morbis. Vitemb. 1763. §. X.

ster astumatissimus, vesicatoriorum usus est eximius, testibus laudato BALDINGERO & PRINGLE 1), & in febribus lentis ac nervosis euacuatio humorum cum salute ægroti a vesicatoriis perficitur. His nimirum febribus conueniunt temperantia, cardiaca, diaphoretica, bene ordinata nutriens ac diluens diæta, in primis iusto tempore adplicata & non nimis cito exsiccanda vesicatoria 2). Euacuationem ac deriuationem humorum & miasmatis salubriter per vesicatoria institui in febribus quæ coniunctæ sunt cum variis exanthematibus, morbillis, variolis, petechiis, purpura & efflorescentiis scarlatinis docuit *Illustris* BÜCHNER 3). In febribus scarlatinis erysipelate, nec non in epidemicis vesicatoria laudat FREIND 4) & MONRO 5) qui ea in hisce febribus vt & in intermittente autumnali tergo imponit 6). In variolis epispastica metacarpo & pedum condilis paulo ante quam tumoris ipsius ad has partes accessus expellatur, applicari iubet HVXHAM 7), quum in aliis quoque casibus periculosis vesicatoria plantis pedum imponi soleant, quibus etiam delirium, quod variolarum comitatur eruptionem, insigniter leuatur 8). In variolis epidemicis anomalis nuchæ adplicata vesicatoria fummos colli dolores & deglutiendi difficultatem leniunt; etiam brachiis cruribusque imposita admodum sunt vtilia, modo variolis laborantes largiter tenue serum lactis, quod in genere cantharidum in adfectibus acutis adhibitarum nimiam coercet acrimoniam, bibant 9). In febribus inflammatoriis vesicatoria noxia esse, supra diximus, & hinc nec in pleuritide nec in peripneumonia sunt adhibenda, nisi instans vitæ periculum ea exigat, ob nimiam copiam materiæ gelatinosæ & viscidæ, cui eliminandæ vires naturales sufficere non videntur, vel quum vires sunt

pro-
 1) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee p. 230. 307. 308. 297. 299. 2) Huxh. ibid, p. 84. & 91. 3) In Diss. de Vesicatoriorum ad exanthemata a nobilioribus partibus auocanda efficaci usu. Hal. 1758. § XII. XIX. XX. 4) L. c p. 63. 5) Lib. cit. p. 201. & p. 115. 6) p. 143. 7) Op. Tom. II, p. 142. 8) Id, Tom. III, p. 26. 9) id, p. 24, 26.

prostrata a gravitate inflammationis, quæ in peripneumoniam transit, vel a putrido statu, a vasorum inertia, a materia pulmones opplente, a venæsectione nimis frequenti 1). PRINGLE vesicatoria in pleuritide maxime commendat 2), eaque parti dolenti imponi iubet, vt obstructionem febrimque tollant, quum alio loco imposta stimulare morbumque augere possint, quemadmodum & veteribus in more fuit positum vesicas in parte dolente excitare 3), sinapismis nempe, quorum in locum cantharides succedere. Mature autem & statim a prima venæsectione vesicatoria palmi magnitudine lateri imponit laudatus PRINGLE, qui multis in casibus ea re eo celeriores ægrotis opem attulit, & venæsectionem repetiit, nisi copiosus sudor dolores ita minuatur, vt aliis remediis superferri commode possit. Peripneumoniae tardius curantur vesicatoriis quam pleuritides, quum vesicatoria non tam directe in pulmones, quam in pleuram agere queant, interim tamen PRINGLE, etiam heic vesicatoriis post venæsectionem quam maxime fidei, eandemque methodum in phrenitide & hepatitide commendat 4); in febribus autem inflammatoriis in genere duas distinguit periodos, in quarum prima pulsus est durus & venæsectio convenit, in altera symptomata inflammatoria quidem adhuc adsunt, pulsus vero ad hanc evacuationem non est satis validus, & tunc vesicatoria optimum præstant auxilium 5). Idem confirmat MONRO 6), INTERPRES *anonymus Tissotii* 7) & MEDICVS 8). In peripneumonia notha vesicatoria non esse negligenda HVXHAM præcipit 9), quia cruribus aut femoribus imposta capiti & pectori leuamen adferant. Quum in febribus malignis & earum summo gradu ad

D 3

finem

- 1) Illustris Büchner Diss. de vesicat. parti dolenti applicat. §. XII. XIII. 2) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee p. 162. seqq. 3) Celsus lib. IV. cap. III. 4) L. c. p. 155. 168. 5) p. 150. 6) L. c. p. 93. & 101. 7) in editione Lugdunensi p. 72. vid. Commentar. Lipf. Vol. XII. p. 558. 8) Erfahrungen Tom. III. p. 509. 511. 576, 578. 9) Oper. Tom. II. p. 208.



finem vsque, imo nonnunquam diutius sordities accefferit, eidem medentur vesicatoria pone aures vel ceruici imposita 1), nec minus profunt in singultu ab exanthematibus retropulsis suborto, ad materiam acrem a neruis phrenicis ad sua loca reuocandam 2). In aliis quoque inflammationibus opem ferunt cantharides externe adhibita. Sic ventriculi & intestinorum in primis ilei regioni post venæsectionem imposita vesicatoria dolores leniunt siue ex inflammatione, siue ex flatibus ortos 3). Nec non in angina maligna 4), quando colli, parotidum, ceterarumque glandularum tumor insignis accedit, vt pene suffocationem minetur 5).

§. X.

*VSVS VESICATORIVM IN VARIIS INVETERATIS
PRAECIPVE MORBIS.*

Eradicandis etiam aliis morbis & vitiis præcipue inueteratis inferuiunt. Morbis curaneis in genere, præsertim scabiæ, imperigini vesicatoria opposuit GALENVS, licheni, lepræ PLINIUS 6), malo in primis ischiadico HOLLERIVS 7), RIEDLINVS, BOERHAAVIUS, TRALLES, TISSOT, MEDICVS 8), PRINGLE 9), podagræ HOLLERIVS, FREINDIVS 10) rheumatismo HOFFMANNVS 11) MONRO 12), arthritidi RIVERIVS 13), neruorum resolutioni ARCHIGENES, hydropi & cæcitatæ FERNELIVS, hemicranæ HOLLERIVS, morsui canis rabidi, FREIND 14). Illustr. NVNN nobis beneuole tradidit, se cum vulnus morsu canis rabidi sub tendine Achillis vtroque latere inflatum siccum esset & sensu carens, nec suppuratio sequeretur, sed potius pars læsa corrumpi inciperet, duas partes vnguenti mercurialis cum vna parte vnguenti

- 1) Monro l. c. p. 33. 2) Hoffmann med. ration. syst. Tom. IV. Part. III. c. IV. §. V. p. 367. edit in 4. 3) Pringle l. c. p. 168. 4) Monro l. c. p. 92. Pringle p. 152. Medicus Tom. III. p. 502. 5) Huxham Tom. III. p. 124. 6) vid. Freind l. c. p. 58. 67. 7) id. p. 59. 8) Illustr. Büchner Diss. cit. §. 12. 9) l. c. p. 177. 10) l. c. p. 59. 63. 11) med. rat. syst. Tom. IV. P. II. Sect. II. cap. VIII. p. 448. 12) l. c. p. 121. 13) Ill. Büchner l. c. §. 11. 14) l. c. p. 61.

guenti aegyptiaci praescripisse, & optimo euentu statim suppurationem, cumque conuenientibus remediis internis ipsam febrim aliaque incommoda vicisse. Lambricis, destillationi, grauedini, neruorum distentioni, pustulis omnis generis FREINDIVS 1), cephalalgia a ferro viscido orta HOLLERIVS, WEPFERVS, RIVERIVS, HOFFMANNVS 2), MEDICVS 3) lethargo HOLLERIVS, MEDICVS 4), epilepsiae ARETAEVS 5), HOFFMANNVS 6) VAN SWIETEN 7) MONRO 8), ophthalmiae & epiphorae PRINGLE, 9) PLATNER 10), HOFFMANN 11), dysenteriae PRINGLE 12) MONRO 13), asthma, HEISTER 14), asthma conuulsiuo a materia peregrina in corpore remanente HOFFMANN 15), tumoribus oedematosis tam pedum, quam totius corporis MONRO 16) nec non Experientissimus NVNN qui in tumore oedematoso vniuersali multis vesicatoriis, variis successiue partibus impostis opem aegrotis attulit. Paralyti MONRO 17), incontinentiae urinae & paralyti extremitatum inferiorum THOMAS DICKSON 18), licet MONRO 19) vesicatoria ossi sacro sine leuamine incontinentiae urinae imposuerit, catarrho suffocatio ex morbillis prodire cessantibus superuenienti HOFFMANN 20), apoplexiae ex cachexia humorum TISSOT 21). Exclusioni faetus etiam conducunt 22). Quis igitur cantharidibus caute adhibitis maximum in medicina usum firmis rationibus & experientis a tot tantisque auctoribus stabilitum in dubium vocabit?

Progredior nunc ad id, cuius occasione hanc qualemcumque commentationem elucubraui: *EMINENTISSIMVS AC CELSISSIMVS PRINCEPS*


AC

- 1) l. c. p. 58. 61. 63. 2) Med. rat. Tom. IV. P. II Sect. II, cap. I. §. VI p. 198. 3) l. c. p. 636. 4) l. c. p. 361. 393. 5) Freind l. c. p. 38. 6) Tom. IV P. III. cap. I. §. 21. p. 22. 7) Comment. Tom. III, p. 448. 8) l. c. p. 195. 9) l. c. p. 157. 10) Chirurg. § 322. 11) Med. rat. Tom. IV. P. IV. cap. v. Curat. §. III. p. 137. 12) l. c. p. 264. 13) l. c. p. 78. 14) Practisch med. Handbuch cap. XII. §. 8. p. 296. 15) Med. rat. Tom. IV. P. III. Obseru. I. p. 288. 16) l. c. p. 43. 44. 17) l. c. p. 180. 18) vid. Comment. Lips. Vol. XII. p. 461. 467. 19) l. p. 185. 20) Tom. IV. P. I. Sect. I. cap. VIII. obseru. VII. epicris. p. 200. 21) Epist. de Variol. Apoplex. & Hydr. p. 125. 22) Freind l. c. p. 61.




AC DOMINVS, DOMINVS EMMERICVS IOSEPHVS, S. Sedis Moguntina Archiepiscopus, S. Rom. Imp. per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, Dominus noster longe clementissimus, pro summa qua eos, qui litteras colunt, iisque communem promouere student vilitatem, fouet indulgentia, me Professoris Medicinæ Publici extraordinarii munere fungi iussit, eoque summo beneficio me ad submississimas gratias habendas, ad pia vota pro salute TANTI PRINCIPIS concipienda, atque ad ea, quæ muneris demandati partes exigunt, rite ac sedulo curanda obstrinxit. Supplex igitur adoro immortalæ Numen ac precor, PATREM PATRIAE CLEMENTISSIMUM summa quauis felicitate, faustissimo regimine, valetudinis optimæ inconcussæ ac maxime longæuo robore gaudere velit, quo sub EIVS indulgentissimo moderamine res publica ac litteraria quæ maximum EIVS statorem, Tutorem ac Benefactorem quotidie experitur ac submississime veneratur, de sua felicitate sibi quam diutissime congratuletur ac floreat lætissime. Pias etiam fundo preces pro salute REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI, DOMINI CAROLI IOSEPHI ADAMI, S. R. I. LIBERIBARONIS A BREIDBACH IN BÜRRESHEIM, Eccles. Metrop. Mog. & Equestris S. Albani prope Moguntiam, vt & Insignis collegiæ ad S. Victorem Canonici Capitularis, Eminentissimi ac Celsissimi Archiepiscopi & Principis Electoris Moguntini & Celsissimi Principis Episcopi Würceburgensis consiliiarii intimi. Urbis ac Territorii Erfurtensis Principis, Domini ac Mæcenatis nostri indulgentissimi. Quem dono diuino sibi datum merito maximis effert laudibus, summoque cultu prosequitur ciuitas atque Academia Erfurtensis, quum nobile EIVS pectus vnico teneatur boni publici prouehendi studio, quumque in primis res academica TANTI MAECENATIS præsidio aucta lætior indies efflorescat. HVNC omni bonorum genere cumulet Numen, HVIVS saluberrima instituta fortunato successu bees, HVIVS mentem corpusque teneatur, vitamque omnibus pretiosam ad summum ætatis ac felicitatis fastigium deducat.

Muneris mei ratio a me postulat, medicas aperire scholas, ac in tradenda hac arte saluberrima indefessam defigere operam, cui officio vt satisfaciam VOBIS, Domini Commilitones Doctissimi ac æstimatissimi prælectinnes publicas in celeb. Gerhardi Materiam medicam, quæ Berol. 1766. in 8. in lucem prodit priuatas vero in Illust. Halleri primas lineas Physiologiæ, aliasue medicinæ partes offero; horarum electionem vestro arbitrio relinquens, vtque vestra frequentia animum vestris commodis paratissimum significandi mihi præbeatis occasionem etiam atque etiam peto. Dabam Erfordiæ d. XV. Nouembris a. MDCCCLXVII.








W 18
PICA





(2)

DE
CANTHARIDIBVS
 EARVMQVE
 TAM INTERNO, QVAM EXTERNO
 IN MEDICINA VSV
 DISSERIT
 AC
 AD AVDIENDAS PRAELECTIONES

ME
 NOBILISSIMOS DOM
 OFFICIO
 LVDOV. FRIDE
 MED. DOCT. ET PROF. PVBL.
 CVRIOS. SOCIVS AC BIBL
 MOGVNT. SC



ERFORDIAE, LITERIS H

